

na parari Imperia? Quis non malit particeps ac socius Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Sanctorumque Justorum inveniri, quam Judæ, cujus tu exististi irritator? En doctrinam stabilem Ecclesiæ Catholicæ: statim Martyribus Regni Cœlestis ostia patebant. Reliquis etiam Justis non negabatur illuc ingressus, sed non omnibus aut par gloria, aut tam citius dabatur ingressus. Vide etiam ad diem XX. Februarii in Actis Sanctor. Bollandi, Martyrium Sanctorum Sadoth Episcopi, atque aliorum in Perfide Anno cccxvi. pro Christo cœsorum. Oblata est S. Viro in somnis scala, cujus initium erat in Cælo; ei autem superstabat S. Episcopus Symeon cum Infinita Gloria, qui ait: *ASCENDE AD ME, SADOth, ASCENDE*. Ego enim heri ascendi; tu vero hodie ascende. Quibus verbis tum suum Martyrium jam completum, & alterius brevi complendum indicavit. Propterea S. Sadoth fratres adhortari cœpit ad grande certamen, inquiens: *Quandiu dies est, celeris pede AD REGNI COELESTIS DOMICILIUM TENDAMUS, ut honoris GLORIAQUE HEREDITATEM ADEAMUS*. Qui Deum diligunt, ad Deum excesserunt: qui vero Mundum in Mundo manserunt. Illi quidem ad *Letitiam & Exultationem*; hi vero ad *ærumnas & suspiria relictæ*. Hac fide, certa que spe tunc generosi Christi Fideles ad tormenta properabant, viciniam ac imminentem semper intuentes Beatitatem sibi promissam ac paratam in Cœlis.

Synchronus gloriosis hisce Athletis fuit S. Hilarius, celeberrimus Pictavorum Episc. Hunc non uno in loco suæ faventem opinioni Burnetus ostendit. Atque is revera explicans Psalmum cxxxvii. ad versiculum octavum hæc scripsit: *Humanæ ista lex necessitatis est, ut consepultis Corporibus ad Inferos Animæ descendant. Quam descensionem Dominus ad consummationem veri hominis non recusavit*. Idem prædixerat in Psalm. lxxxiii. versicul. 9. de Christo Domino loquens, qui ad explendam quidem hominis naturam, etiam morti se, idest discessioni se tanquam animæ corporisque subjecit, & ad Infernas sedes (id quod homini debitum videtur esse) penetravit. Denique in Psalm. cxx. ad versic. 8. Dominus custodiet exitum tuum &c. ait: *Non enim temporis hujus & sæculi est ista Custodia, non auri sole atque luna, & ab omni malo conservari; sed futuri boni expectatio est; quum exeuntes de Corpore, ad introitum Regni cœlestis per Custodiam Domini Fideles omnes reservabuntur, in sinu scilicet interim Abrabæ collocati*. Hæc pro se laudat Burnetus. Cui responsum primo velim, sæculo Christi iv. nondum excidisse pennas opinioni de Millesario Regno, eamque in paucorum adhuc cerebro locum pacificum invenisse, inter quos S. Hilarium forsitan recensere licet. Aliquam ille hac de re suspicionem ingerit Tractat. in Psalm. lxxii. num. 7. atque in Psalm. cxlvii. num. 8. Si hæc ejus opinio, quod affirmare non ausim, toties diximus, iterumque meminisse juvat, nil mirum esse, si posito hoc principio, tamdiu retardaretur Beatitas Justorum, quando ipsam tum solum admittere ejusmodi opinioni adherentes co-